Crux Christi salva me.
Zelus domus tuae liberet me.
Crux vincit + Crux regnat + Crux imperat + per signum crucis libera me, Domine, ab hac peste
Deus, Deus meus: expelle pestem a me, et a loco isto, et libera me.
In manus tuae Domine, commendo spiritum meum, cor et corpus meum
Ante Caelum, et Terram Deus erat, et Deus potens est liberare me, ab ista peste.
Crux Christi potens est ad expellandam pestem ab hoc loco et a corpore meo.
Bonum est praestolari auxilium Dei cum silentio et expellat pestem a me.
Inclinabo cor meum ad faciendas justificationes tuas ut non confundar, quoniam invocavi te.
Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, speravi in te.
Crux Christi fuget Daemones, aerem corruptum, et pestem expellat.
Salus tua ego sum, dicit Dominus: clama ad me et ego exaudiam te, et liberabo te ab hac peste.
Abyssus abyssum invocat et voce tua expulisti Daemones, libera me Domine ab hac peste.
Beatus vir, qui sperat in Domino, et respexit in vanitates et insanias falsas.
Crux Christi quae antea fuit in oppsobrium et contumeliam et nunc in gloriam et nobilitatem, sit mihi in salutem, et expellat a loco isto Diabolum et acrem corruptum et pestem a corpore meo.
Zelus honoris Dei convertat me antequam moriar, et in nomine tuo salva me ab ista peste.

Croce di San Zaccaria
Vescovo di Gerusalemme
contro la peste

Crucis signum liberet populum Dei, et a peste eos qui confidunt in eo.
Haeccine reddis Domino, populo stulte? Redde vota tua offerens sacrificium laudis et fide illis, quia potens est istum locum et me ab hac peste liberare, quoniam qui confidunt in eo non confundentur.
Gutture meo et faucibus meis adhaereat lingua mea, si non benedixero tibi: libera Domine sperantes in te: in te confido, libera me Deus ab hac peste et locum istum, in quo nomen tuum invocatur.
Facctae sunt tenebrae super universam terram in morte tua Domine, Deus meus, fiat lubrica, et tenebrosa Diaboli potestas, qui ad hoc venisti Filii Dei vivi, ut dissolvas opera Diaboli, expelle tua potentia a loco isto, et a me servo tuo pestem istam: discedat aer corruptus a me in tenebras exteriores.
Crux Christi defende nos, et expelle a loco isto pestem, et servum tuum libera a peste ista, qui benignus es, et misericors et multae misericordiae, et verax.
Beatus qui non respexit in vanitates, et insanias falsas, in die mala liberabit eum Dominus: Domine in te speravi, libera me ab hac peste.
Factus est Deus refugium mihi, quia in te speravi, libera me ab hac peste.
Respice in me Domine Deus, de sede sancta majestatis tuae et miserere mei et propter misericordiam tuam ab ista peste libera me.
Salus mea tu es, sana me et sanabor, salvum me fac, et salvus ero.
IESUS **H**OMINUM **S**ALVATOR
MARIA